

*Contratto di permuta tra Guglielmo
Ruffo e il fratello Fulcone*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Contratto di permuta tra Guglielmo
Ruffo e il fratello Fulcone*

1335-3-21

In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo quinto, die vigesimo primo mensis martii, quarte inditionis apud terram dictam de Amenduleto de territorio casalis Arduni de tenimento Sancti Pauli. Regnante serenissimo domino nostro rege Ruberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalquerii, ac Pedemontis comite, regnorum suorum anno vigesimo septimo feliciter amen.

Nos Leonus Muttula et Nicolaus Baguerius iudice Sancti Pauli, Ioannes de Bernardo civitatis Giracii, et totius Iustitiariatus Calabrie regius publicus notarius, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati. Presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod magnificus vir dominus Guglielmus Ruffus de Calabria Sinopoli comes, et baronie Veteris Brutiani dominus, presens in predicto loco dicto de Amenduleto de territorio dicti casalis Arduni et consentiens prius in nos prefatos iudicem, tamquam in suos iudices, cum ex certa sua scientia sciret nos suos iudices non esse iurisdictionem, nostram prorogans in hec parte coram nobis iure proprio pro se, suisque heredibus et successoribus, et administratorio nomine, et pro parte Caroli et Enrici Ruffi filiorum suorum, et heredum earum in perpetuum dedit, permutavit, et tradidit viro magnifico domino Fulconi Ruffo de Calabria militi, fratri suo, Bubalini et Capitis Brutiani domino, administratori legitime Nicolai, filii sui, ibidem presentis et consentientis similiter in nos prefatos iudices tamquam in suos iudices, cum ex certa sua scientia, sciret nos suos iudices non esse iurisdictionem, nostram prorogando in hac parte et pro se, suisque

heredibus ac administratorio nomine, et pro parte predicti Nicolai filii sui, et suorum heredum recipienti omnes terras, quas dictus dominus comes habet in tenimento Bubalini, tam iure pheudi Calvelli, quam alterius iuris cuiuscumque, quibuscumque finibus limitentur ad habendum, tenendum, et possidendum, et quicquid eidem domino Fulconi, et pro dicto Nicolao filio suo, eiusque heredibus et successoribus deinceps de terris predictis placuerit, perpetuo faciendi cum omnibus et singulis que dicte terre et ipsarum quolibet habent supra se, vel infra se, aut intra se in integrum accessibus et egressibus ipsarum terrarum, usque ad vias publicas, omnique iure actione, usu, seu requisitione, eidem domino Guglielmo comiti Sinopoli, et predictis filiis suis ex predicti terris, vel pro ipsis aut in ipsis modo aliquo pertinenti, sive spectanti, et hoc nominati pro terris omnibus quas ipse dominus Fulco pro se, et nomine, et pro parte dicti Nicolai filii sui, habet in tenimento Veteris Brutiani, ubicumque a flumaria Tucci, et flumaria Amenduleta, ubicumque a parte flumarie Tucci et Amenduleta, usque ad fines Palitiis, sicut vadit ad rigirum mutuum prope terras, quas tenent Iurdanus Balderi, Andreas Attafi et haeredes quondam Guglielmo Attafi, a predicto domino Fulcone, pro parte dicti Nicolai filii sui, quarum terrarum, dominium et proprietatem, dictus dominus Fulco retinuit pro se et predicto Nicolao filio suo, et heredibus earum, de terris vero que dicuntur Nicolai de Alania, quas idem Nicolaus tenebat, a predicto domino Fulcone non ponuntur in presenti excambio pro eo, quod dictus dominus comes dicit quod predictus Nicolaus de Alania nullum ius habet in predictis terris, sed sunt et pertinent curie sue; quas terras preter, exceptuatas terras predictas, dictus

dominus Fulco, pro se et administratorio nomine, et pro parte dicti Nicolai Ruffi filii sui, dedit, permutavit, et tradidit dicto domino comiti, pro se nomine et pro parte dicti Caroli et Enrici filiorum suorum, et heredum suorum, recipienti in excambium, pro predictis terris per eum datis et permutatis domino Fulconi predicto ad habendum, tenendum et possidendum; et quicquid eidem domino, et predictis filiis suis, eorumque heredibus et successoribus deinceps de terris predictis sibi permutatis et traditis per dominum Fulconem predictum placuerit perpetuo faciendi cum omnibus et singulis predictae terre et ipsarum quolibet habent supra se, vel infra se, seu intra se, in integrum accessibus et egressibus ipsarum terrarum usque in vias publicas, omnique iure, actione, usu, seu requisitione, eidem domino Fulconi, et predicto Nicolao filio suo, ex predictis terris vel pro ipsis, aut in ipsis modo aliquo pertinenti, seu spectanti. Que predictus dominus comes, per se et suos heredes ex parte una, et administratorio nomine, et pro parte dictorum filiorum suorum et heredum eorum, et predictus dominus Fulco per se et suos heredes, et administratorio nomine, et pro parte dicti Nicolai filii sui, et heredum suorum ex altera, quilibet eorum vicissima alterius nomine, res a se permutatos, et traditos se constituit possidere usque quo, unisquisque ipsorum rerum sibi permutatorum et traditarum possessione acceperit corporalem, quam recipiendo de auctoritate propria, et retinendo deinceps alter, alteri ad invicem omnimodum licentiam contulit, atque dedit, et alter alterum in corporalem possessionem rerum a se permutatarum, coram nobis per fustem ut moris est induxit, promittentes dicte parte, pro se et eorum heredibus et administratorio nomine, et pro parte dictorum filiorum suorum, sibi ad invicem pro

se, et administratorio nomine quo supra heredibus eorum legitime stipulantibus et recipientibus. Litem, vel controversiam de rebus sibi permutatis et traditis seu aliqua parte ipsarum ullo tempore non inferre, nec inferenti consentire, sed unumquemque ipsarum partium res a se permutatas et traditas alteri, et eorum heredibus ad invicem ab omni homine et universitate, persona publica, ecclesiastica, seu privata, legitime defendere, autorizare, disbrigare, discalumniare et guarantire, et teneri sibi ad invicem de evictione de rebus a se permutatis et traditis, si de ipsis, vel ipsarum aliqua casus evictionis accederit. Quibus omnibus sic peractis, dicte partes volentes odia, omnia scandala et rancores inter eos habita, huiusque a se expellere, et ex nunc in antea fraternali dilectione se gerere in omnibus sicut fratres quorundam consanguineorum, et amicorum communium intervenientium tractare, pro se et administratorio nomine, quo supra, et earum heredibus infrascriptos condiciones et pacta, sponte et voluntarie stabiliverunt quod ipsi fratres per se, vel officiales eorum, ex nunc in antea nullum vassallum ipsorum alterius recipere debeant in terris suis, dictus dominus comes, nullum vassallum dicti domini Fulconis recipere debet, in terris sui Veteris Brutiani et comitatus Sinopolis, Sancte Christine et Placanice, et tenimento earum; et converso dictus dominus Fulco nullum vassallum dicti domini cComitis recipere debeat in predictis terris suis Bubalini et Capitis Brutiani et tenimentis eorum; et si qui vassalli ipsorum alterius usque ad hodiernum diem, per ipsorum alterum, sint recepti in terris suis quod ubi nunc sunt, ex nunc in antea morari debeant, et quod ex nunc in antea nullum ipsorum Dominorum per se, vel eorum heredes, seu officiales, vassallum

aliquem ipsorum alterius suscipere, vel recipere possit, vel debeat, in terras suas quantumcumque recessisse de terra alterius ipsorum, et in terris aliis morare trassisset per spatium annorum decem, vel plus minusve. Itaque si dictus dominus comes in terris dicti domini Fulconis, et converso si dictus dominus Fulco in terris dicti domini comiti aliquos villanos, angarios habuerit, quod alteri ad invicem et eorum officilibus, vel procuratoribus satisfacere teneantur de iuribus ipsis dominus seu eorum alteri debitis per villanos scriptos, absque dilatazione quacumque, item quod aliqui vassallorum dictorum dominorum vel ipsorum alterius habent terras et vinea, culturas fructiferas, vel possessiones quascumque in terris alterius, ipsorum dominorum quod ipsis vassalli, ipsa bona libere habeant, teneant, et possideant, et de fructibus ipsis in terris eisdem, et quod nullus ipsorum dominorum per se, vel officiales suos, ipsos vassallos in bonis predictis quomodolibet impediatur, vel molestetur, nisi dum taxat si ipsi vassalli per predicta loca in aliquo censu, seu onere, tenebuntur ipsis dominis qui ab eis possint petere, et exigere iura census, seu quovis iure in quibus tenentur, pro bonis ipsis. Item quod si officiales dictorum dominorum, vel vassalli aliqui, qui pro tempore fuerunt et sunt, tenentur dare quicquid ipsis dominis, pro iuribus terrarum predictarum, vel alterius cuiuscumque cause, quod ipsi domini satisfacere faciant in continenti alterum ipsorum dominorum, vel procuratoribus eorum, de omnibus et que tenentur eisdem. Item, voluerunt dicti fratres quod predictam permutationem, et omnia et singula pacta, et contractus predictos, confirmari faciant per sacram regiam maiestatem, si hec ipse maiestas regia consenterit ad expensas communes, ut pax et fraternalis affectus semper remaneant inter fratres eosdem, et

heredes eorum, et ut etiam reatus materia removeatur ab eis, et si suprascripta omnia ex pacta prius per eosdem fratres facta Giracii, et scripta per manus notarii Thomasi de Sylvestro regii publici notarii curie facere, confirmare requiverint per prefatam sacram regiam maiestatem, quod dicti fratres inter se rata et firma perpetuo habere, tenere et observare debeant predictam permutationem, et omniam et singulam subscripta. Promittentes dicti fratres posse, et eorum heredibus administratorio nomine, quoscumque sibi ad invicem per se, et nomine, et pro parte dictorum filiorum suorum, et eorum heredum legitime stipulantibus et recipientibus, predictam permutationem et traditionem, et omnia et singula subscripta, et infrascripta se rata et firma, perpetuo habere, tenere, observare et adimplere, et non contra facere, vel venire per se, vel alios aliqua ratione, causa, ingenio, occasione et exceptione iuris, vel facti de iure, vel de facto sub poena unciarum auri centum ponderis generalis inter ipsos ad invicem stipulatione promissa, et eandem regia curia a parte contraveniente poena nomine persolvenda me predicto notario publico ipsius curie, poenam eandem legitime stipulatione. Quam poenam dicti fratres totus a parte contraveniente committi et exigi voluerunt, pro parte dicte curie, per quemcumque iudicem, pars predicta observas elegerit summarie et de plano, sine libelli oblatione, litis contestatione, et sine strepitu et figura, iudicii appellatione aliqua, non obstante quotius ipsam partem contravenientem contra predictam venire contigerit, vel aliquod predictorum et poena soluta, vel non, semel, vel plurius, in totum vel in partem, alie gratiose rem tota, omnia et singula supradicta firma perdurent. Renunciantes dicti fratres, et ipsorum

quilibet, specialiter et ex certa scientia, exceptioni metus seu vis, infrascriptis actioni, conditioni, sine causa, privilegium fori, item exceptioni non permutatorum inter se rerum predictarum, et iuri per quod deceptus ultra medietatem instrumenti valorem, rei, vel aliter in contractibus. Item iuri dicenti rem pheudalem sine speciali consensum regio non posse alienari, et generaliter omni iuri et legum auxilio, tam canonici, quam civili, scripto et non scripto, promulgato et promulgando, et omni consuetudini, et constitutioni canonice et civili, quibus posset contram predictam venire, vel aliquod predictorum; item iuri dicenti poenam non debere committi, ultra legitimum sensum usurarum, et iuri per quod generales renunciaciones impugnantur. Certiorati prius de et super predicti iuribus et beneficiis eis competentibus, per me notarium supradictum que sint et quid dicant. Item promiserunt dicti fratres, per se et eorum heredes, et successores ad invicem, per stipulationem solemnem, se facturos, et curaturos cum predicti filiis eorum ipsis ad legitimam aetatem provenientibus dictam permutationem, et omnia et singula suprascripta ratificabunt et confirmabant, et dictam ratificationem et confirmationem roborari publico instrumento per requisitione alterius ipsorum ad consilium, unius vel plurium sapientum facti, substantia non mutata. Denique presens instrumentum penes unamquamque ipsarum partium plenam obtineat roboris firmitatem. Item promiserunt dicti fratres, per se et eorum heredes, ut supra sibi ad invicem legitime stipulantibus presens instrumentum, defectu nostrum qui supra iudices et notarium non extimandum esset invalidum, pro unde parte ad requisitionem alterius observari volenti permutationem, ex conventionem

predictas in totum attendere ad locum accedere teneatis in quo sunt annales iudices regii et notarius publicus, et testes litterati, et eorum ipsis conficere debeat permutationem et conventionem predictas, et omnia et singula supradicta. Et ad maiorem firmitatem omnium predictorum supradicti fratres sponte iuraverunt, sibi ad invicem ad Sancta Dei Evangelia, manibus tacto libro, se rata et firma perpetuo habere, tenere et observare, omnia et singula supradicta, et contra ipsa, vel ipsorum, aliqua, per se vel alios aliquando non facere, vel venire.

Unde ad huius rei testimonium futuram memoriam, et predictorum omnium cauthelam factum est exinde presens publicum instrumentum scriptum et subscriptum per manus mei publici notarii supradicti, nostrum qui supra Iudicem scribere nescientium, signo crucis munitum, et subscriptorum subscriptionibus roboratum ambarum partium predictorum petitionibus, et rogatu. Actum anno, mense, die, loco et inditione premissis. † Ego qui supra Leonus Muttala iudex Sancti Pauli nesciens scribere, manu propria venerabili signo crucis per manum Bernardi de Bernardo testor. † Ego Nicolaus Baguerius qui supra iudex Sancti Pauli nesciens scribere manu propria venerabili signo crucis per manum Bernardi de Bernardo testor. † Ego Robertus Luciferus testor. † Ego Enricus de Amantea miles testor. † Ego Guglielmus Plutinus testor. † Ego Conradus de Giracio testor. † Ego presbyter Nicolaus de Bellohomine rogatus testor.